



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. I. Vtrùm Deus per se vel per alium possit mentiri aut testari falsum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

120. deducuntur ex reuelatis, definire esse de fide, & contrarium damnare tamquam hæreticum; numquam tamen ita definire propositiones, quæ solum secundo modo deducuntur ex reuelatis, sed solum decernere eas esse certas, & eorum contradictorium esse periculosum aut erroneum; ut patet ex variis ipsius circa diuersas propositiones qualificationibus, sub quibus eas damnat. quare qui eiusmodi propositionem negaret, non esset ideo præcisè hæreticus, sed solum consecutus, quatenus implicite assereret Ecclesiam in suis definitionibus errare. Vide Molinam supra, & Lorcam 2.2. d.6. num. 14.

Molina.
Lorca.

127

Ad tertium, Respondeo nostram fidem nullo modo niti illa naturali cognitione aut discursu, sed solum iudicium præcedens fidem innititur; talesque propositiones non sunt de fide, propter talem discursum, sed quia reuelatae sunt; quamvis per illum discursum cognoscamus eas esse reuelatas, & consequenter illas esse de fide.

Ad quartum, nego antecedens talis enim solum cognitione merè naturali cognoscit Christum in ea hostia esse præsentem, & quidem non ita certò, quin possit ei subesse falsum; quia ipse non est omnino certus, quòd consecrans sit verus sacerdos, aut quòd habuerit veram intentionem consecrandi, cum hæc solum fide

humana credat. Ad confirmationem, nego assumptum; ut enim eam hostiam absolute adoret, sufficit quòd habeat moralem certitudinem eam esse legitime consecratam, & consequenter Christum ibi esse præsentem; qualem cognitionem sufficienter habet ex fide humana, quando non occurrit ratio dubitandi de contrario; sicut is cui ab aliis dicitur hostias tali loco positas esse consecratas, quas ipse legitime adorat, cum tamen sola fide humana sciat esse consecratas. Neceste hinc periculum idololatricæ, quia ille nullo modo intendit adorare panem, sed Christum, quem rationabiliter hinc credit esse præsentem.

Ad quintum, nego eum syllogismum esse bonum; nam, ut patet ex dictis n. 125 maior solum est vera sumpta formaliter, ac in sensu composito; quare ex ea solum potest inferri esse de fide, hunc habere characterem, posito quòd sit baptizatus; sicut in hoc syllogismo, Quicumque constitutus in clara luce habet vitum bene dispositum & oculos apertos, necessario videt præsentem lucem: atqui Iohannes est talis: ergo necessario videt præsentem lucem. consequens enim aperte est falsum, nisi addatur, Posito quòd oculos habeat apertos, &c. aut in minore addatur, Iohannes est necessario talis. nam aliis si sit contingenter talis, etiam contingenter videt, ac potest non videre.

ut hostiam
absolute ad-
orem sufficit
quòd mora-
liter certò
sciam eam esse
consecratam.

DISPUTATIO X.

Qua ratione obiectum fidei, tam formale quàm materiale sit necessario verum.

D. Thom. Hæc de re disputat D. Thom. q. 1. a. 3. vbi docet, fidei non posse subesse falsum, quia nititur testimonio Dei, qui falsum testari nequit.

D V B I U M I.

Utrum Deus per se vel per alium possit mentiri aut testari falsum?

1
Priscilianista.

Est olim hæresis Priscilianistarum qui docebant Primò, ob grauem causam, v. c. ad seruandam vitam, licere mentiri. Secundò, Deum mentiri posse, atque per Prophetas aliquando fuisse mentitum. ut de iis testatur D. August. lib. de Hæresib. c. 7. hæres. 70. & l. contra mendacium c. 2. vbi etiam ait, eos docuisse, Christum aliquando mentitum fuisse. Non se aliter, inquit, arbitrantur veracem suam ostendere falsitatem, nisi veritatem dicant esse mendacem.

2
August.

Quidam verò Catholici farentur Deum quidem numquam fuisse mentitum, nec de potentia ordinaria mentiri posse; de potentia tamen absoluta aiunt eum posse mentiri, quia non videtur ullam inuolucere implicatiam: Dei autem omnipotentia nihil est negandum quod non implicat contradictionem. Ita Holcot in 2. q. 2. ar. 8. & in 3. q. 1. a. 8. Aliacen. in 1. q. 12. a. 3. dub. 3. §.

Holcot.
Aliacen.

Coninck de act. supernat.

55. proposit. 4. Adamus in 3. d. 14. q. 5. dub. 2. in fine. Gabr. verò in 3. d. 12. q. 1. a. 3. dub. 1. negat quidem Deum mentiri posse (quia hoc significat aliquem dicendo falsum peccare) concedit tamen Deum posse dicere falsum, ita tamè ut in eo nullo modo peccet, atque ita nec admittat mendacium. Sed in hoc abutitur & rebus & vocibus. Quare nos hinc pro eodem hæc accipimus mentiri, & scièter testari falsum. dico scièter, quia sicut impossibile est Deum aliqua ignorare, ita etià impossibile est eum ignoranter testari falsum.

Tertiò Nota, Deum quatuor modis posseicipi per alios mentiri. Primò propriè, præcipiendo alicui ut suo siue Dei ipsius nomine, & tamquam à Deo dicta aliqua falsa alijs enunciet; quocasu Deus & diceretur propriè per talem loqui & mentiri. Secundò, præcipiendo ei ut nomine proprio aliqua falsa dicat. Tertiò, sine villo præcepto eum ad hoc directè incitando; sicut gratia sua præueniente nos excitat ad opera bona, aut simili aliqua ratione. Quartò, producendo in eum habitum mendacij aut apprehensionem falsam, atque ita existèdo ei causam cur falsum dicat. Hic propriè agimus de primo modo, nam hinc solus propriè ad hanc difficultatem spectat: nam aliis modis non nisi impropriè aliquis per aliū mentiri dicitur: consequenter tamen etiam hinc agemus de 2. & 3. modo, de quo verò agemus dubio 2.

Adamus.
Gabriel.

Q. 3

CON.

4. **CONCLUSIO I.** Deus numquam per se fuit mentitus, nec etiam propriè loquendo iuxta primum modum ex dictis per alium, imò secundum potentiam ordinariam omnino impossibile est eum ita mentiri. Hæc est de fide, & communis Catholicorum. & contrarium in Priscilianistis damnatum est. Probat, quia alias Scriptura tota, & fides nostra penitus evertentur: nam si credamus in Scripturis vel vnum esse mendacium, eadem ratione poterimus credere totam esse confictam, & fides nostra erit mera fabula. Item si credamus Deum de potentia ordinaria ita potuisse mentiri, etiam poterimus credere eum aliquando fuisse mentitum: tum quia nulla erit ratio cur credamus eum de facto id non fecisse, tum etiam quia potentia Dei ordinaria non aliter distinguitur ab absoluta, quam quod illa sit secundum communem cursum rerum, ac decretum Dei, quo statuit ea aliquando uti, & ita aliquando redigatur in praxim; hæc autem sit supra communem rerum cursum, & contra Dei decretum, quo statuit numquam ea potentia uti. unde sequitur, si Deus potentia ordinaria possit mentiri, eum aliquando de facto mentitum fuisse.

Potentia Dei ordinaria quomodo differat ab absoluta.

Valentia. Vasquez. Turrian. Num. 23.

Rom. 3.

5. **CONCLUSIO II.** Omnino impossibile est Deum etiam de potentia absoluta per se mentiri, aut etiam per alium propriè loquendo iuxta primum modum ex dictis n. 3. Est etiam communis Catholicorum, & vult de fide, ut ego opinor, vel fidei proxima. Ita Valentia 2. 2. d. 1. q. 1. puncto 3. conc. 2. Vasquez a. 3. concl. 1. Turrian. disp. 3. dub. 1. & 2. Probat, Primò, ex Scripturis. quia Num. 23. dicitur, *Non est Deus quasi homo ut mentiat, nec ut filius hominis ut mutetur.* & ad Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis homo mendax.* Quibus veracitas Dei distinguitur à veracitate hominum, eique talis tribuitur qualis nequit in hominibus reperiri; nam dicitur in ea omnino hominibus esse dissimilis.

6. Vbi Nota Primò, in dictis Scripturis non tam agi de actuali mendacio, quam de potentia mentien di, ita ut Deus distinguatur ab omni homine, non tam quia ipse numquam fuit actu mentitus, & omnis homo aliquando actu mentiat, (quia aliàs ibi diceretur, atque ita esset de fide, omnem hominem aliquando fuisse mentitum, quod tamen falsum est: cum de B. Virgine ac S. Iohanne Baptista, pie credamus eos numquam fuisse mentitos: quod probabiliter etiam alijs quibusdam accidit. quàm quia omnis homo ex natura sua est mendax & mutabilis, ita ut possit mentiri & mutari, Deus autem neutrum vllò modo possit.

Iacobi 1.

Confirmatur, quia priori loco ex dictis Deus eodem modo dicitur non posse mentiri, sicut dicitur non posse mutari: atqui ipse natura sua est omnino & absolute immutabilis, iuxta illud Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Vbi omnis omnino mutabilitas ab eo remouetur: ergo similiter est ei omnino impossibile mentiri.

7. Hebræos 6.

Confirmatur Secundò, clarissimè ex Apostolo ad Hebræos 6. ubi ait: *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hereditatem immobilitatem consilij sui interposuit iuramentum: ut per*

duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus, &c. Vbi docet Primò, Deum abundantius, id est præter omnem necessitatem, suæ promissioni addidisse iuramentum, quia nimirum Dei promissio per se tam erat firma & immobilis ac iuncta iuramento. Docet Secundò, tam Dei promissionem quam iuramentum esse duas res immobiles, quibus singulis impossibile sit mentiri Deum. Vbi expressè docet, absolute esse impossibile Deum mentiri, non solum in iuramento, sed etiam in simplici promissione: ideo enim vocat ea duas res immobiles, ostendens singula per se immobilia siue immutabilia esse, ita ut impossibile sit Deum in ijs mentiri ea non implendo.

Respondentaliqui, hæc aliæque eiusmodi loca intelligenda esse de potentia Dei ordinaria. Sed contra Apostolus absolute dicit Deum esse impossibile mentiri: atqui hoc non potest dici de eo, quod ei solum est impossibile de potentia ordinaria (quia aliàs hæc esset vera: Impossibile est Deo creare alium mundum, quia de potentia ordinaria hoc fieri nequit; illud tamen est aperte falsum, nec catholicè dici potest): ergo debet intelligi de potentia absoluta.

Probat, Secundò, ex Patribus: nam D. August. l. 1. de Symbolo cap. 1. ait: *Deus omnipotens est: & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare se ipsum non potest; quam multa non potest, & omnipotens est, & ideo omnipotens, quia ista non potest: nã si mori posset, non esset omnipotens. si mentiri, si falli, si iniquè agere (scilicet posset) non esset omnipotens.* Unde patet, secundum S. Augustinum Deo tam esse impossibile mentiri, quam mori, quam falli, quam iniquè agere, quam non esse omnipotentem: & si possit mentiri, aut aliquid aliud dictorum facere, non fore omnipotentem. Quare qui dicunt Deum de potentia absoluta posse mentiri, secundum D. August. dicunt eum non esse omnipotentem, aut saltem fieri posse non omnipotentem. Item S. Anselm. lib. 1. *Cur Deus homo* c. 12. ait: *Non enim sequitur, si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri: sed potius Deum illum non esse.* Vbi expressè docet, Deum non fore Deum si mentiretur, & consequenter tam esse impossibile eum mentiri, quam ipsum non esse Deum. Et hic est communis omnium Patrum sensus, ut citatis eorum verbis fusè docet Valentia 2. 2. d. Valentia 1. puncto 3.

Quod solum est impossibile secundum potentiam ordinariam, nequit dici Deo absolute impossibile.

9. August.

Anselmus.

10. Si Deus posset vlla ratione mentiri, sequeretur nos non teneri ei in omnibus absolute credere, quia sæpè merito possemus dubitare, an forte in hoc aut illo casu esset usus illa potestate, & consequenter non teneret credere, omnia esse vera quæ habentur in sacra Scriptura. quia in multis possem dubitare an forte in illis asserendis Deus non fuisset usus illa potestate: atque ita cum Priscilianistis dicerem Deum fuisse mentitum in omnibus quæ mihi non arderent, quæ est aperta blasphemia.

Dices, Deus testatur est in Scripturis nihil falsi contineri, seque numquam fuisse mentitum, ideo quæ hoc firmiter tenet credere. Sed contra, si vlla Dei testificatio potest esse falsa,

12.

etiam

etiam hæc poterit esse falsa: nec enim est vlla ratio cur non tam possit in hoc testimonio mentiri, quam in quouis alio: ergo simili ratione poterò dubitare de hoc testimonio, sicut de quouis alio possibili.

Dices Secundò, Qui dicit regē mentiri facit ei graue iniuriam; non tamē is qui dicit eum posse mentiri: quia à tu mentiri est graue vitium dedecens naturam rationalem; posse autem mentiri solum dicit naturalem potentiam & libertatem hoc faciendi: ergo etiā sit grauis blasphemia dicere Deum de facto esse mentitum, inde tamen non sequitur, esse blasphemiam, dicere, eum posse mentiri.

Respondeo, negando consequentiam; quia non repugnat creaturæ rationali habere aliquā imperfectiōem, qualis est hæc, posse peccare aut mentiri; sed hoc eius essentiam secundum se spectatam necessariò consequitur, ideo quæ in ea non est vitium, nec eam dedecet, atque ita dum hoc ei tribuitur, nullum vitium ei tribuitur: sicut cum de B. Virgine dico, eam esse factam ex nihilo, natura sua esse peccabilem, aut sine gratia Dei non potuisse omne peccatum vitare, nihil dico quod ei possit vitio tribui, eamque dedecet. Secundò est de Deo, cuius naturæ essentialiter repugnat omnis imperfectio, nec sine grauissimo vitio, quodque eius perfectiōem omni modo infinitat, & consequenter eius diuinitatem planè euertere, potest in eo vlla imperfectio reperiri, qualis est, posse mentiri; quare qui hoc ei tribueret, graue vitium ei impingeret, & consequenter blasphemaret.

Confirmatur, quia vel dedecet Deum actu mentiri, ac hoc in eo esset vitium; vel non. Si primum dicatur; ergo omnino eierit impossibile mentiri, quia ipse nequit in se admittere vllum vitium: si secundum dicatur, ergo nihil tribuet ei vitiosum aut dedecens, qui dicit eum actu esse mentitum: & consequenter non blasphemabit, nec erit vlla causa cur non possit Deo hoc tribui: atque ita nulla erit ratio cur non credam eum de facto fuisse aliquando mentitum, atque ita minoris erit auctoritatis sacra Scriptura quam Liuius, totaque fides nostra erit incerta.

Ex quibus patet Primò, apertam videri blasphemiam, & consequenter hæreticum, dicere Deum de potentia etiam absoluta posse mentiri; quia tam Scripturæ quam Patres citati absolute testantur à diuina natura esse alienum posse mentiri, ideoque hoc esse impossibile, & Deum non fore Deum si id posset. Nec hic facienda est distinctio, an testetur falsum per se an per alium: tum quia æqualiter utroque casu mentiretur, quod graue vitium est; tum etiam quia, quando tam Scripturæ quam Patres negant Deum posse mentiri, apertè loquuntur de locutione, qua Deus per Prophetas locutus est, ut patet ex Scripturis supra citatis, & Patribus dānantibus Priscilianistas dicentes Deum per Prophetas fuisse mentitum. Quare immeritò Canus l. 2. de locis Theolog. a. 3. cum damnet prius hæreseos, trepidat idem asserere de secundo, cum Scripturæ ex quibus prius damnatur, loquantur de secundo.

Patet Secundò, sicut apertè implicat Deum non esse Deum; ita ex sententia dictorum Patrum implicare eum mentiri; quia si hoc faceret, non esset Deus.

CONCLUSIO III. Impossibile omnino est Deum fallere, non seruando promissa nobis absolute facta; aut posita cōditione requisita eum non implere ea quæ sub cōditione nobis promisit. Est communis Catholicorum, & videtur etiam esse de fide, quia Scripturæ citatæ num. 5. & 7. docent Deo impossibile esse mentiri, loquuntur apertè de mendacio, quod committeret si non seruaret promissa. vnde Apostolus 2. ad Timoth. 2. de Deo ait: *Ille fidelis permanet; negare seipsum non potest.* Vbi clarè insinuat, Deum negaturum seipsum (factis nimirum ostendendo se non esse absolute infinite veracem, constantem, ac fidelem) si promissa non seruaret; & consequenter vtrumque esse æquè impossibile.

CONCLUSIO IV. Impossibile est Deum alicui præcipere vt mentiat. Est communis & certa inter Catholicos. Ratio est, quia mentiri est absolute malum, nec vllam ob causam licite fieri potest, vt fusè docet D. August. duobus libris contra mendacium conscriptis. numquam enim potest esse honestum, veritatem, quæ ex se absolute honesta est, & consequenter ipsam honestatem oppugnare, & quantum in se est euertere: per omne autem mendacium veritas oppugnatur, & quantum est in potestate mentientis eueritur. Sicut autem ab infinita bonitate ac veritate alienissimum est peccare aut mentiri; ita ab eadem alienissimum est alterutrum alteri præcipere.

CONCLUSIO V. Impossibile est Deum, aliquem directè incitare siue impellere ad mentiendum. Probatur, quia alias ipse ea ratione esset verè causa mendacij, & consequenter peccati, quod alter committeret: atqui omnino impossibile est Deum esse causam peccati aut mendacij: hoc enim illi bonitati ac veritati infinite penitus repugnat, vt cum Trident. sess. 6. can. 6. contra hæreticos nostros communiter docet omnes Catholici; ergo Deus nequit aliquem impellere ad mentiendum. Confirmatur, quia Deus vt prima veracitas infinite odit mendacium: ergo nequit velle id ab aliquo committi; & consequenter nequit aliquem impellere siue incitare vt hoc committat.

Potest tamen Deus alicui ex bona intentione obijcere quædam, ex quibus alter sua malitia aut imprudentia accipiet occasionem mentendi aut aliter peccandi, atque ita indirectè & per accidens esse ei occasio illa faciendi: nequit tamen illud facere ea intentione vt hæc fiant; quia nullo modo potest velle hæc fieri.

Sunt autem hæc vera etiam eo casu, quo alter ob inuincibilem ignorantiam nullam committet culpam ita mentiendo, quia saltem committet peccatum materiale, quod Deus non potest velle fieri, multoque minus potest esse directè causa cur fiat, alterum ad hoc incitando. Vide dicta disp. 3. dub. 3. n. 49.

Contra dicta obijciuntur Primò, varia Scripturæ loca; alia in quibus Deus videtur dixisse

Q4

falsā

Sine iniuria homo dicitur posse mentiri aut peccare, non tamen de facto mentiri aut peccare: vtrumque æquè vitiosè tribuitur Deo.

Æquè repugnat Deo mentiri per alium ac per se.

CANUS.

15

2. Tim. 2. Deus mentiendo seipsum negaret.

16

Numquam licet mentiri August.

17

Trident.

18

Deus potest alicui per accidens esse occasio mendacij, nequit tamen hoc intendere.

Deus nequit aliquem impellere ad materiale peccatum.

19

falsa per suos Prophetas; alia, quibus videtur dici eum alios per se, aut per daemones decepisse; alia, in quibus viri sancti ipsius instinctu videntur fuisse mentiti; alia, quæ inter se videntur pugnare; quæ singula persequi nimis operosum esset, & à nostro proposito alienum. Quare solum assignabimus generales quasdam regulas, quibus eiusmodi loca maxima ex parte poterunt facile explicari. in reliquis autem poterunt consuli sacre Scripturæ interpretes, quorum propriè est eiusmodi loca ex professo tractare ac explicare.

20

Isaie.

Iona.

21

2. Reg. 16.

3. Reg. 22.

Iohan. 13.

August.

22

Sancti non omnia dixerunt instinctu Dei, quæ narratur in Scripturis dixisse.

Prima regula sit. Quando Deus in Scriptura aliquibus aliqua mala euentura prædicit; hæc communiter sunt comminatoria & sub conditione intelligenda, scilicet nisi illi penitentiam egerint, aut precibus dicta mala auerterint. Sic intellige illud Isaie 38. dictum ad Ezechiam, *Morieris tu, & non viues*; cum tamen precibus impetravit adhuc vitam 15. annorum. & illud Iona 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur*, quod propter eorum penitentiam est reuocatum; & alia eiusmodi. Quia ratione etiam communiter intelligenda sunt promissiones, quibus Deus alicui præsertim communitati multa bona felicitatemque in futurum promittit; intelligenda enim sunt cum hac conditione, Nisi peccatis vestris contrarium mereamini.

Secunda regula. Scriptura sæpè per hebraïsmum dicit aliquem aliquid facere, aut præcipere ut fiat, quod ipse solum permittit fieri, aut ut summum dat aliquam occasionem ex qua præter suam intentionem id ex alterius malitia nouit futurum. Sic 2. Reg. 16. Dauid ait Deum præcepisse Semei ut malediceret Dauid, id est ex intentione puniendi Dauidis peccatum hoc ei permisit, & occasionem id faciendi ei obiecit; quod aliàs sine dubio fuisset impediturus. Item 3. Regum 22. Deus daemoni promittenti se decepturum Achab ait: *Decipies & praualebis; egredere & fac ita.* id est permitto ut id facias, nec volo impedire. Similiter infra Deus dicitur dedisse spiritum mendacem in ore omnium prophetarum Achab. Sic etiam Christus Iohan. 13. ait Iudæ: *Quid facis fac citius.* solum ut ostendat se nolle opponere moram suæ passioni, sed desiderare eam statim impleri, aut etiam cupere eum citius egredi canaculo, & dare tempus ea discipulis communicandi, quæ coram illo nolebat communicare. Simili etiam phrasi D. August. l. 83. quæst. q. vltima, concedit Deum aliquando decipere homines per spiritus nequam. & l. de Spiritu & littera Deum posse mouere homines ad sensum falsum, scilicet permittendo daemones ut homines decipiant, aut etiam alia intentione ijs quædam obijciendo, ex quibus videt eos decipiendos & sensum falsum concepturos.

Tertia regula. Quædam in Scriptura sunt omnino tropicè intelligenda: ut illud Iacobi ad Isaac Gen. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau.* quia nimirum erat talis iure & Dei destinatione. Adde, non omnia quæ Sancti in Scripturis narratur dixisse, ex Dei instinctu dixisse, atque ita facile potuisse contingere ut ex aliqua inadvertentia aut timore, aut etiam quia putabant in

similibus casibus sibi licere aliqua falsa dicere, dixerint aliqua non vera; cum enim Scriptura testetur eos in alijs peccasse, non est cur ita laboremus eos in omnibus ab omni mendacio excusare: ut bene etiam notat Turrianus 2. 2. disput. 3. dub. 2. §. Circa secundum, in fine.

Obijcies Secundò, multos Patres docere, licere aliquando mentiri ad graue damnum auertendum. Ita enim videntur docuisse Hieron. Chrysost. Origen. Cassianus apud Sixtum Senensem libr. 5. Biblioth. sacre annotat. 107. Respondeo parum curandum esse hac in re auctoritatem Origenis & Cassiani; quia plures alios habent errores. Hieron. autem & Chrysost. videntur improprie accipere mendacium pro locutione tropica aut aliàs ambigua, quæ primo aspectu, seclusis circumstantijs apparet falsa; ijs tamen spectatis potest habere verum sensum; quare ipsi solum volunt licere quandoque eiusmodi locutione uti; aliàs propriè loquendo cum S. August. lib. de Mendacio c. 6. & 21. absolute dicendum est numquam vlla ex causa licere mentiri: nam teste Scriptura Proverb. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia.* & psalm. 5. de Deo dicitur: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Vnde Alex. III. cap. Super eo. de vlt. ris, docet, sacram Scripturam prohibere etiam pro vita tuenda mentiri.

His adde, et si concederemus ex causa iusta quandoque fieri posse ut homo licitè mentiat, secus tamen esset dicendum de Deo: tum quia nulla potest ei occurrere necessitas mentiendi, sicut homini possunt sæpissimè occurrere grauissimæ necessitates quibus se aliter quam mentiendo, expedire nequit; tum etiam quia si Deus aliquo casu posset mentiri, adimeretur ei illa auctoritas primæ veritatis, cui in omnibus debemus indubitanter credere. Si enim ipse vnquam vlla ex causa posset mentiri, semper possemus dubitare an in præsentis sui testimonio non haberet fortè iustam causam mentiendi, cum infinitas habere posset quæ nobis essent penitus ignotæ; atque ita non teneremur ei in omnibus absolute credere.

Obijcies Tertio, Fieri potest ut aliquis ex inuincibili errore putet aliquid à Deo esse reuelatum, quod à parte rei falsum est, seque teneri illud credere, & alijs nunciare; quo casu verè tenebitur illud credere, & alijs nunciare, atque ita mentiri: ergo poterit Deus ei præcipere ut hoc faciat.

Respondeo negando consequentiam, quia, etsi talis eo casu, ne contra conscientiam peccet, iure naturæ teneatur dicta facere; tamen Deus non poterit hoc ei directe præcipere, quia nulla potest Deo occurrere necessitas aut iusta causa id faciendi; cum si ipse velit ei circa dictam rem aliquid præcipere aut reuelare, possit ei facillimè aperire veritatem, & præcipere ut hanc credat & enunciet.